



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. II. Resolvitur dubium de privilegiis S. Ordini Benedictini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

disp. 27. q. 1. a. 4. Sanch. l. 7. d. 26. n. 4. Salmantic. to. 4. tr. 4. disp. 1. d. 5. s. 2. n. 70. sed de hoc ex instituto in Tract. de Matrim.

10 Quintò status Religiosus absolvit Professum à patria potestate. *auth. ingressi. & auth. si qua mulier. C. de SS. Ecclesi. & glossa ibid.* quod tamen intelligendum esse quoad effectus patrie potestatis Monasterio & Religioni onerosos, non quoad favorabiles, optime monet P. Engel *privil. 12.*

11 Tandem amplissimum privilegium Religiosorum est, quòd gaudeant privilegiis & participatione omnium piarum causarum sicut, minorennium, nobilium, militum dummodo casus sint Religiosus & Monasteriis applicabiles, prout latè deducit Clarif. P. Engel loc. cit. & Virg. Aluifet *sect. 2. De communicatione privilegiorum*, quà gaudent Religiosi, vid. quæ dixi *Disp. 37. a. 4. §. 11.*

*Dubium de privilegiis S. ordinis Benedictini resolvitur.*

Quæres primò. An totus Ordo S. Benedicti gaudeat communicatione privilegiorum, aliis Monasteriis, aut integris Congregationibus, putà Cassinensi, Vallisolerana, S. Mauri, &c. concessorum?

12 Respondeo juxta limitationem præced. disp. 37. a. 4. propositam, distinguendum esse inter gratias & privilegia: nam vel sunt onerosa, & cedentia in gravamen tertii, ut exemptio à jurisdictione, quæ non communicantur, nisi exprimentur, quia sunt strictæ interpretationis, nec præsumitur Princeps velle alterius juri quæsito derogare, nisi exprimat. Vel secundò habent pro suo motivo specialem prærogativam loco, Monasterio, Congregationi propriam. Vel tertio restringuntur per clausulas speciales, & exclusivas aliorum locorum, ut sunt multa privilegia Abbati & Monasterio Cassinensi ob prærogativam primatus in toto S. Ordine concessa eaque utpote cocilia non solum à toto ordine, sed nec ab ipsa Congregatione Cassinensi participantur: Vel quarto sunt gratiæ exorbitantes, quæ rarò & difficulter, aut non nisi prævio examine & Decreto S. Congregationis alicui Monasterio, vel Congregationi conceduntur, & necesse communicantur, cum sapiant naturam singularium gratiarum, juxta Tamb. de J. Abb. to. 1. d. 17. q. 2. Lezanam to. 3. V. Missa, n. 21.

13 Vel quintò motivum privilegii est universale, nempe merita, & dignitas S. Ordinis, & tunc valde probabiliter totus S. Ordo Benedictinus in privilegiis civi: alteri Congregationi, aut Monasterio indultis nemini onerosis communicat. Sequitur ex dictis præcit. disp. 37. a. 4. n. 12. & 13. & ulterius Probatur rationibus directis primò. Non est præsumendum, quòd Sum. Pontif. voluerit in communicationem privilegiorum variis Congregationibus & Monasteriis Ord. S. Benedicti concessorum admittere extraneos & alienos Ordines, exclusis domesticis & membris ejusdem S. Ordinis de universa Ecclesia tot sæculis meritisim: atqui Sum. Pontif. varios extraneos Ordines admisit in communicationem privi-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

legiorum Congregationibus Benedictinis concessorum: ergo præsumi non potest, quòd voluerit Benedictinos ipsos ab eorum participatione excludere. Major probatur, quia exclusus domesticis alienos admittere in participationem favorum, non habità ratione innumerorum meritum, pugnante infuperationis non tantum identitate sed etiam majoritate, alienum est à justitiæ distributiæ æquitate non minus, quàm à paternæ pietatis liberalitate; quod de Sum. Pontifice clementissimo ovium Pastore præsumi nequaquam potest, ideo in interpretatione privilegiorum non nuda ipsius verba, sed vel maxime mens ex adductis motivis debet inspicere: unde sapienter Philosophus à Lessio citatus, æquitatem, ait, esse *quandam justitiam, & justitiã legali meliorem.* Et revera: *longè major est Officiorum, quàm juris regula.* Mentem porò Summ. Pontif. luculenter expressit Sixtus IV. in mari magno Augustinianorum dicens: *Conveniebat, ut, quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia & favores.* Minorem ex Summ. Pontif. Bullis ostendunt Rodrig. qq. regul. to. 1. q. 55. a. 8. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. Tambur. Pellizar. aliique citati à Salmantic. to. 4. tr. 13. de privil. c. 1. p. 7. n. 90.

Probatur secundò. Extensio privilegiorum per communicationem ab una Congregatione vel Monasterio ad totum Ordinem S. Benedicti sub præmissa limitatione est in jure fundata: ergo non est deneganda toti S. Ordini. Antecedens probatur primò. Privilegia faventia Religioni & causæ piæ, recipiunt amplam interpretationem ex juris dispositione; cum beneficium Principis sit latissimè interpretandum l. 3. ff. de *constit. Princ.* & cum communi DD. docet P. Engel in *Coll. Jur. Can. Tit. 4. S. 1. n. 4.* Sed privilegia Religiosis concessa, quæ nemini sunt onerosa, sunt talia: ergo admittunt amplam & latissimam interpretationem: ergo pariter interpretatio, quæ DD. privilegia uni Congregationi & loco concessa judicant esse extendenda, est conformis dispositioni Juris.

Nec refert, quòd juxta sup. dicta, privilegium ordinariè ob paritatem & identitatem rationis non extendatur à persona ad personam, à loco ad locum, &c. nam id obtinet quidem in privilegiis, quæ sunt extra Corpus Juris, ea quippe (inquit Engel loc. cit.) *plerumque sunt temporalia, & strictè interpretationis, nec extenduntur ultra personas, quibus concessa sunt: privilegia verò clausa in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, ac aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsa eges communes, unde nostra resolutio*

Probatur tertio. Privilegia Corpori Juris inserta iisve in jure æquiparata admittunt extensionem, prout cum communi docent *Suar. de leg. l. 8. c. 27. n. 7. & Hannoldus de Jur. & Just. to. 1. tr. 1. de Leg. c. 4. n. 20.* sed privilegia Religiosorum æquiparantur privilegiis Corpori Juris insertis, ut iidem Authores docent: ergo admittunt extensionem ex identitate vel paritate rationis,

A a a

Proba-

- 16 Probatur quartò. *A privilegio uni cause pia concessa, rectè potest deduci argumentum ad aliam similem causam ex communi DD* inquit cit. P. Engel: sed quis negaverit, privilegia Religiosorum esse concessa in favorem causæ piæ: ergo rectè deducitur ab iis argumentum ad similem, imò non ad similem causam, sed ad membra & partes ejusdem Religionis sub una S. Regula & Instituto intimâ unione moraliter connexas, militantibus iisdem motivis & rationibus. Major variis exemplis roboratur. 1. Privilegia maritis concessa, communicantur uxoribus, quia conjuges constituunt unum morale compositum œconomicum: cur enim non etiam privilegia concessa Congregationibus, sint communicata cæteris Monasteriis, quæ sub una S. Regula unâ cum illis unum S. Ordinis Corp<sup>9</sup> constituunt. 2. Summi Pontif. privilegio istarum Congregationum, imò & cæterorum Ordinum, ad remunerationem meritorum, conservationem pacis & conformitatis, voluerunt esse communicata Mendicantibus, qui non sunt membra ejusdem Ordinis, cur ergo non Monasteriis, quæ sunt membra ejusdem Ordinis? cum istud æquè conducatur ad promotionem cultûs Divini remunerationem meritorum, conformitatem, &c. 3. Leo X. in Bullâ, *Dudum per nos accepta*, datâ 19. Dec. an. 1519. apud Lud. Mirandum in Man. Præl. to. 1. q. 21. omnia privilegia cuicunque Ordini mendicantium, vel domui ejusdem Ordinis concessa, omnibus & singulis ejusdem Conventibus, Domibus, Ecclesiis, personis &c. juxta cujuslibet capacitatem voluit esse communicata; cur ergo non Benedictinis quoque Monasteriis sint communicata privilegia, quæ ipsorum Congregationibus, aut quibusdam Monasteriis ex communi titulo & causa concessa inveniuntur? 4. Privilegia concessa studiosis Theologiæ, extenduntur ad studiosos SS. Canonum ut habet Burgos in c. *Canonum de constit.* 5. Privilegia concessa Ecclesiis, extenduntur ad Hospitalia. 6. Concessa pupillis ad minores. 7. Concessa nuptis, ad Virgines Christo nuptas, cò quòd istud sit matrimonium spirituale. 8. Concessa militibus, ad Clericos & Doctores. 9. Concessa Clericis, Nobilibus, militibus ad Regulares, Viris Regularibus ad Moniales ejusdem Ordinis, &c. ergo multò magis concessa certis Congregationibus & Monasteriis Benedictinis ad omnes Benedictinos: cùm utique major sit connexio inter Benedictinum & Benedictinum, quàm inter Ecclesiam & Hospitale, uxorem & filium, militem & Clericum, &c. prout latè & doctè expendit Georgius Geisser in lib. de Privilegiis Benedict. q. 1. n. 27.
- 17 Confirmatur: RR. PP. Capuccini teste P. Bonagrata participant omnia privilegia aliorum Ordinum S. Francisci, quia vivunt sub eadem Regula & Fundatore, quantumvis sint Superioribus & privatis constitutionibus divisi: ergo &

Benedictini participant privilegia Benedictinarum Congregationum ob unitatem S. Regule & Fundatoris.

Probatur etiam nostra responsio ratione indi. 18 rectâ, & reflexâ. Illis privilegiis gaudet, & bonâ conscientiâ utitur, fruiturq; S. Ordo Benedictinus, quæ ipsi à gravissimis Doctõribus in publicis voluminibus, Legislatore non contradicente asseruntur: sed toti Ordini Benedictino per communicationem asseruntur à gravissimis DD. privilegia alicui Congregationi, aut Monasterio concessa sub præmissis limitationibus: ergo iisdem privilegiis totus Ordo gaudet. Minor constat: sic enim è diversis Ordinibus sentiunt & docent Emanuel, & Hieron. Rodrig. Jo. de la Cruz in Comp. pract. l. 2. c. 4. Anton. Diana tract. 2. dub. Regul. resol. 81. Marchin. de sac. Ord. tract. 1. part. 7. c. 2. & 7. Bonagrata in Summula qq. regul. V. privilegium. n. 402. Franciscus Bonæ spei to 3. Commentar. 11. 3. deleg. disp. dub. 4. n. 37. Tambur. de J. Abb. to. 1. disp. 37. q. 2. & disp. 25. q. 9. Ang. Manriquez cit. à Caramuele in Theol. Reg. disp. 131. a. 1. Miranda ro. 1. Manual. q. 46. a. 7. Balizustin flor. Theol. V. Privilegium. Salmantic. to. 4. Moral. 11. 18. c. 1. puncto. 7. §. 1.

Præterea: Juxta Authores modò allegatos, 19 omnes non mendicantes, ad eòque & Benedictini gaudent per communicationem privilegiorum omnium mendicantium Religionum: sed mendicantes gaudent communicatione omnium privilegiorum cuicunque suorum Conventuum & Domuum concessorum, juxta prælegatam Bullam Leonis X. ergo etiam Benedictini gaudent ejusmodi communicatione.

Infero ex dictis: Totum Ordinem S. Benedictini communicare saltem indirectè privilegia omnium Ordinum mendicantium: nam totus Ordo S. Benedictini communicat directè privilegia particularibus Congregationibus concessa; sed inter privilegia Cassinensibus, Vallisoletanis, & recentioribus ab Urbano VIII. Congregationi S. Mauri in Gallia concessa per Bullam in *supereminenti* continetur communicatio omnium proliis privilegiorum, quæcunque fuerunt ulli Regulari Ordini concessa. Ipsas porrò Bullas SS. Pontificum authenticè relatas videre est apud Cornel. Margarin. in Bullario Cassinensi, Rodriguezium, Cherubinum, & Augustinum à V. M. Carmelitam. Cæterum, quamam privilegia in specie comperant tum Regularibus in communi, tum Benedictinis in specie, videri possunt, qui de illis fuscè & ex infinito scripserunt, Salmanticenses, Rodriguez, Virgilius Aluister, Augustinus à V. Maria, Georgius Geisser de privilegiis Ord. S. Benedictini, P. Ylo Pfavy in Summario privilegiorum, &c.